

ΠΡΟΛΟΓΟΣ  
P R Æ F A T I O A D  
L E C T O R E M.

**P**R O P O S I T V M E S T M I H I, L E-  
ctor, hoc libello demonstrare, quòd Creator Optimus maximus,  
in creatione Mundi huius mobilis, & dispositione Cœlorum, ad illa  
quinque regularia corpora, inde à Pythagora & Platone, ad nos vsq;,  
celebratissima respexerit, atque ad illorum naturam cœlorum nu-  
merum, proportionem, & motuum rationem accommodauerit. Sed antequam te  
ad rem ipsam venire patiar: cùm de occasione huius libelli, tum de ratione mei in-  
stituti, aliqua tecum agam: quæ & ad tuum intellectum, & ad meam famam perti-  
nere arbitratus fuero.

Quo tempore Tubingæ, ab hinc sexennio clarissimo viro M. Michaeli  
Mæstlino operam dabam: motus multiplici incommoditate vsitatae de mundo opi-  
nionis, adeo delectatus sum Copernico, cuius ille in prælectionibus suis plurimam  
mentionem faciebat: vt non tantùm crebrò eius placita in physicis disputationibus  
candidatorum defenderem: sed etiam accuratâ disputatione de motu præ-  
Terræ volutione accidat, conscriberem. Iamq; in eo eram, vt eidem etiam Telluri  
motum Solarem, vt Copernicus Mathematicis, sic ego Physicis, seu mauiis, Meta-  
physicis rationibus ascriberem. Atque in hunc vsu partim ex ore Mæstlini, partim  
meo Marte, quas Copernicus in Mathesi præ Ptolemæo habet commoditates, pau-  
latim collegi: quo labore me facile liberare potuisset Ioachimus Rheticus, qui  
singula breuiter, & perspicuè prima sua Narratione persecutus est. Interea dum il-  
lud saxum voluo, sed *παρέργως*, secus Theologiam: commodè accidit, vt Gretium ve-  
nirem, atque ibi Georgio Stadio. p. m. succederem: vbi officij ratio me arctius his  
studijs obstrinxit. Ibi in explicatione principiorum Astronomiæ magno mihi vsui  
fuerunt omnia illa, quæ antea vel à Mæstlino audiueram, vel ipse affectaueram. Atq;  
vt in Virgilio, fama Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo: sic mihi harum rerum  
diligens cogitatio, cogitationis vltioris causa fuit. Donec tandem Anno, & c. 95,  
cùm ocium à lectionibus cuperem bene, & ex officij ratione transigere: toto animi  
impetu in hanc materiam incubui.

Et tria potissimum erant, quorum ego causas, cur ita, non aliter essent, per-  
tinaciter quærebam, Numerus, Quantitas, & Motus Orbium. Vt hoc auderem ef-  
fecit illa pulchra quiescentium harmonia, Solis, fixarum & inter medij, cum Deo Pa-  
tre, & Filio & S. Spiritu: quam similitudinem ego in Cœsmographia persequar am-  
plius. Cum igitur ita haberent quiescentia, non dubitabam de mobilibus, quin se  
præbitura sint. Initiò rem numeris aggressus sum: & consideravi, vtrum vnus or-  
bis alius duplum, triplum, quadruplum, aut quid tandem haberet: quantumq;  
quilibet à quolibet in Copornico dissideret. Plurimum temporis isto labore, qua-  
si lusu, perdidit: cùm nulla, neque ipsarum proportionum, neque incrementorum  
appareret æqualitas: nihilq; vtilitatis inde percepi, quàm quòd distantias ipsas, vt  
à Copornico proditæ sunt, altissimè memoriæ insculpsi: quodq; hæc variorum co-  
natuum